



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Symbolum Apostolorum. Credo in Deum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

SYMBOLVM APOSTOLORVM.



CREDO in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem celi & terra, Et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum: Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine: passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus: Descendit ad inferos: Tertia die resurrexit a mortuis: Ascendit ad celos: Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, Inde venturus est iudicare vivos & mortuos: Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

COMMENT. XVI.

CREDO In Deum.] Optime beatus Thomas 2. 2. q. 1. arti. 10. quem sequitur S. Antonius part. 4. tit. 8. c. 4. §. 3. Symbolum esse collectionem sententiarum fidei, quoniam in eo sint collectae illae sententiae, seu articuli ad fidem spectantes, quos necessarium est explicite credere; qui in sacra scriptura varijs locis dispersi continentur. Sunt autem eiusmodi symbola multa, ut paulo post dicemus: hoc tamen omnium est primum, & apposite valde dicitur, Apostolorum Symbolum, quia procul dubio illud Apostoli primum condiderunt, causam docet sanctus Clemens Papa in epistola ad Iacobum fratrem Domini in haec verba, Christus itaque resurgente, ascendente in caelum, missus sancto Spiritu, collata Apostolis scientia linguarum, adhuc in vno positi, symbolum quod fidelis nunc tenet Ecclesia, utriusque quod sensit dicendo, condiderunt, ut discedentes ab invicem hanc regulam per omnes gentes praedicarent. & paulo post; Symbolum enim Graece, Latine, collectio dicitur. Et hoc praedicti sancti Apostoli in ter se, per Spiritum sanctum salubriter (ut dictum est) condiderunt. Dicitur & indicium, quod per hoc, qui recte crediderit, indicatur. Haec tenus ibi.

Et sanctus Augustinus de tempore, sermone 181. de eodem ita scribit, Sancti Apostoli certam regulam fidei tradiderunt, quam secundum numerum Apostolicum, duodecim sententiarum comprehensum, symbolum vocauerunt, per quam credentes Catholicam tenerent veritatem, & per quam haeticam conuincerent prauitatem. Symbolum ergo tali ratione institutum maiores nostri dixerunt, tradunt enim quod post Ascensionem Domini, & Saluatoris nostri ad Patrem eum per aduentum Spiritus sancti discipuli eius inflammatis linguis omnium loqueretur ad singulas quasque nationes, ut Dei verbum praedicarent, iturum ac discessuri ab invicem, normam prius sibi futurae praedicationis in commune statuerunt, ne localiter ab invicem discedentes, diuersum vel dissoum praedicarent his, qui ad fidem Christi inuitabantur. Omnes igitur in vno positi, &

A Spiritu sancto repleti, breue suae praedicationis iudicium conferendo in vnum, quod sentiebat, vnusquisque computabat, atque hanc ita credentibus dandam esse regulam instituerunt. Haec tenus Augustinus.

Hoc symbolo Apostolorum totidem sententiarum diuinitus consignato, veluti acutissimo quodam gladio omnes haeticorum errores posse detruunci asserit Leo Papa eius nominis primus, epistola quadam, quae ad Pulcheriam Augustam in haec verba. Si quidem ipsius Catholici symboli breuis & perfecta concessio, quae duodecim Apostolorum, totidem est signata sententiarum, tam instructa sit munitione caelesti, ut omnes haeticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruunci. Cuius symboli plenitudinem, si Eutyches puro & simplici voluisset corde concipere, in nullo a decretis sacratissimi Niceni concilij deuiaret, ut contra Apostolicam fidem, quae non nisi vna est, nullum se ingenium, nullum eleuaret eloquium. Haec tenus ille. Hoc symbolum pulchre interpretatur sanctus Augustinus tom. 3. lib. de fide & symbolo. item tom. 9. de Symbolo ad catechumenos libris quatuor & tom. 10. de tempore, sermone 115. & sanctus Thomas quodam opusculo de hac re conscripto incipiente, primum, quod est necessarium.

Symbolo vincuntur haetici.

SYMBOLVM SANCTORVM PATRVM.

CREDO in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli & terra, visibilium omnium & inuisibilium: Et in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum: Et ex patre natum, ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis, Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine: Et homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato: passus & sepultus est: Et resurrexit tertia die, secundum scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris: & iterum venturus est cum gloria iudicare vivos & mortuos: cuius regni non erit finis: Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem: qui ex Patre filioque procedit: Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas: Et vniam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam: Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum: Et expecto resurrectionem mortuorum: Et vitam venturi saeculi. Amen.

COMMENT. VI.

CREDO in vnum Deum Patrem omnipotentem.] Cum praeter Symbolum Apostolorum, de quo paulo antea dictum est, extent duo alia symbola, Nicenum & Constantinopolitanum

Symbolum sancti Patris, quod dicitur, & vbi conditum.

Manet Chrestus in his bus sacris & alibus a bus sacris manum.

Symbolum Apostolorum eorum codicum.